



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Monitum quintum, non timeant laici, sibi nocituras donationes factas
Ecclesiasticis vel coemptiones bonorum immobilium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

proventibus? nihil profectò: immo felicitas magna, nolentibus etiam, oportune ingeretur. Illi enim multiplicatis redditibus, plures erunt, & ut homines Deo chari, quia eius ab obsequiis, frequentibus orationibus, immaculatis missæ sacrificijs vindicæ diuinæ dexteræ, vibrata in scelestos homines, arcent fulmina, simulque impetrant ea, quibus Respublica velut fortissimis cincta manibus, immunis à periculis auitæ felicitatis & fortunæ secunda viuat, ac vigeat incolumis. Quid nobis profunt superbo opere ductæ in altum turres, castella, bellicæ machinæ, tumuli & monumenta hæc regnotum essent, non munimenta vel præsidia, si eis tantum non cœlesti patrocinio niteremur. Eduxit ingentem exercitum populus, multis rationibus Deo probatus contra Amalechitas, causâ belli iustissima fuit, & tamen victoria, non nisi à manibus Moysis, Deû pro tantis bellatoribus exorantis pependit. Exod. 16. vers. 11. Sed & nos cui tandem insignes illas de barbaris victorias. Sacerdotum ne Sacrificijs qui fuis in cælum precibus exoratum Numen nostris à partibus stare coegerunt. an paruis illis legionibus, quæ immanibus ex tota Africa & Asia lectis exercitibus erant impares, deferemus? Certè S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Iulianum nobis adtupulatur, cum ait ad Religiosos, *Elenatio manuum vestrarum extinguit flammam.* Igitur locuples penu vestrum pateat Ecclesiasticis, augeatur eorum numerus cum redditibus, ut ita crescentibus eis, vestra quoque bona crescant, & in dies ea capiant incrementa, quanta peropertatis.

43. Serui sunt vestri, vobis ab obsequiis Spiritualibus, longè præstantioribus, quàm quæ à famulis minis necessariis tantoque Satellitio, non ad aucupandam gratiam, sed ad magnam vsque supremi Numinis offensam exhibentur. Illis tamen ampla patrimonialia, de bonis nobiliu coemptis, Ecclesiasticos verò vobis magis fidiore, etiam à coemendis & oblatis arcetis. David propter amicitiam, quam cum Ionatha contraxit, & illius affectum erga se, licet grauibus admodum à Saul, lacessitus iniuriis, etiam cum amittendæ vitæ periculo, tamen Miphibozet, non optimo tantum patrimonio munivit, sed etiam ad regium epulum suumque palatium inuitauit 2. Reg. 9. Ecclesiastici verò, vtiliores DD. Politicis, quàm Ionathas Dauidi, neque diebus, neque noctibus parcunt, quominus eorum peccatis offensum Numen suis mitigent precibus, & morti sempiternæ per peccatum damnatos gratiæ Dei reddant, intercedente nozarum veniâ. Sed quod magis mireris, resciant illi sæculares Augustissimo Christi corpore, patiterque sanguine, tamen interim ad commodam vitæ sustentationem, ne minimum quid, vel in remunerationem

44. tanti beneficij referunt, quinimò plurimi reperuntur tam perfictæ frontis, qui Ordinè Ecclesiasticum, priuatim & publicè per se & per alios, iniuriis persequi, calumnijs apud alios turpiter prostruere, falsis insuper delationibus ac detractionibus, nativo candore spoliare non desunt. Sed dicit aliquis, sufficere Ecclesiasticis pecunias ad sustentationem, quid igitur fundos & possessiones coemunt, quid oblatas tanopere tuentur? huic primò responsa velim, quæ Nobiles ipsi, si ab Ecclesiasticis tale quid decreto stateretur, dicerent. Verùm quid tandem causæ? cur eiusmodi Decreta, sæculares in præiudicium Ecclesiasticorum adornant, quæ ipsi ferre non sufficerent? Illi fundos & prædia tenent, ad licentiùs luxui vacandum, & in superfluis vestibus, magisque curiosis quàm necessarijs, in equis ad omnem fastum pompamque exornatis, consumenda patrimonialia, debum ad effrenem omni scelere vitam turpiter inescandam. Hi ad Supremi Numinis cultum impensè propagandum, & commodiùs proximorum saluti vobisq; ipsis seruendum bona coemunt, ut eadem in suos postea Consanguineos impendant.

Secundò. Etiam Veneti pecuniam Ecclesiasticis testamento relictam non denegabant, & tamen decretis Pontificijs in pœnam, emerariorum bonorum immobiliarum prohibitionis, grauius afflicti sunt.

Tertiò. Pecunia si tempestiuè non impendatur coemendis fundis & bonis stabilibus, breui consumitur, nec vllam sterilis prouentum refert, cum ab eo edictis Politicorum prohibeatur. Hac de re pulchrè Vrbanus Papa in C. videntes 12. q. *Videntes summi Sacerdotes & alij atque Leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis posse conferre, si hereditates & agros, quos vendebant, Ecclesijs quibus præsidebant Episcopi traderent, eò quòd ex sumptibus eorum, tam præsentibus quàm futuris temporibus, plura & elegantiora ministrare possent, fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex precio ipsorum, ceperunt prædia & agros quos vendere solebant, matricibus Ecclesijs tradere, & ex sumptibus eorum viuere, &c. Ideo, si aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus, qui hæc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur.*

MONITVM QVINTVM.

45. INanis nec ratione susceptus timor, ne vniuersæ Nobilitatis bona Ecclesiastici occupet aut coemant sollicitari. A quibus enim quæuè hæctenus coempta sunt? Nam si Episcoporum quispiam fundos à Nobili coemptos suis Consanguineis secularibus, aut viris Ecclesiasticis attribuit, vti plerique fecerunt meâ memoriâ, quid publicæ aut priuatæ rei detrimenti attulit? cum precium dederit, quo paria aut melio-

ra venditis emi possint. Quod autem ad Claustra & Religiosos attinet, nisi quis animum, à pietate pariter & Religionè auertat, nihil omnino Nobilitati ab illis metuendum esse luce clariùs agnosceret.

Millia aliquot Religiosorum in Polonia, qui ex fundis sibi attributis annuos fructus percipiunt, reperies, qui numerus & simul tempora, quibus in hoc Regno degunt, si cum bonis ab ipsis coemptis conferantur (quod parùm à nihilo non discrepat) nihil emisse censebuntur. Ex parte verò altera, quis numerum inire potest eorum, quæ Nobilibus amicis ab illis donata sunt, qui perfectioris vitæ studio suas hæreditates reliquerunt. Quare fieri non potest, vt ingenius quisque ac magnanimus, arcendos bonorum emptione putet, qui sua tam liberaliter largiuntur. Iam verò, si quanti sunt eorum redditus, necessitatibus metiamur, longè profecto tantæ multitudini impares apparebunt. Si enim inter omnes æqualiter, nullo inter maiores minorève discrimine tribuantur, quemuis aut nimium egere, aut stipem rogare oporteret. Hinc propè omnium Religiosorum Mendicantium, fundosque habentium (vt PP. Dominicanorum, Carmelitarum Calceatorum, Franciscanorum Conuentualium, Augustinianorum atque Societatis Iesv) Domicilia, ære alieno grauantur, cogunturque passim iam ad librorum, iam ad vestium comparationem, iam ad ipsam victus necessitatem depellendam, alienam crebriùs opem non sine molestiâ implorare. Accessio igitur aliqua in tantis angustiis census annui, aut opes saltem illius incerta, atque dubia, impedienda non est. Fratres, filij, caro & sanguis vester sunt, Pietas quæ se Deo consecrauerunt, ita ingratos reddere non debet, vt extreme inopiæ consultum esse nolitis. Satis & perquam nimium pauci sunt qui suâ liberalitate egestatè sustentant, quid eos quoque prohibetis? Ab ingressu in has partes Religiosorù, supra centena hominum millia, in variis se Monasteriis ac Conuentibus Deo dicantur: quo de numero decem vix reperies, qui iisdem suas possessiones iure stabili ac perpetuo inscripserunt. Ad PP. Societatis Iesv Prouinciâ Lithuanæ, in vna hæc scribo, intra Septuaginta circiter annos, vix ingressus est vnus, cui Mater mille circiter florenorum annuatim percipiendum in hæreditatem dedit. Duobus plures Polonia numerat, quiuis perpetuum in paterna rura Societati donarunt, neque multò dispar est aliorum Ordinum conditio. Tot igitur de tanto numero alij (si tam paucos exceperis) facultates, omnes atque copias Nobilibus amicis reliquerunt. Vnde nemo non videt, plurimum Nobilium Ordini per Religiosos accessisse. Si enim omnes ac singuli suas secum opes in claustra intulissent, supra amplissimos Episcopus,

cuiusvis propè Religiosi domicilij facultates creuissent. Cum igitur tot & tanta à Religiosis Nobiles teneant, & in singulos annos, noua ab iisdem ad paupertatem Christi euolantibus accipiant, quâ mente, quâ æquitate, miseram eis terræ partem negare poterunt, quorum omnia possederunt? Sed nihil sanè de suis terris contendant, omnia quæ ipsorum sunt, possideant, aliorum pietatem & misericordiam non prohibeant, sinant alios Deo in pauperibus parum largiri, à quo omnes omnia acceperunt: non sit illis graue, si saluis eorum atque integris rebus fratres amicitique alienâ benignitate famem pellant, & necessitatem domos alienas petuagandi propulsent, vt eorum necessitatibus pro sui officij ratione sese commodiùs impendant. Quod si neque statuum æqualitas, quam omnes Politici propugnant, neque in Deum pietas, neque charitas in suos nec in egentes misericordia ab eis impetrabit, si omnem profus bonorum accessionem atque spem ipsam inopiæ subleuandæ à Religiosorum domiciliis prohibuerint, ipsi in eandem breui incident. Quantum enim magis numero augebitur tantò magis opibus Nobilitas decrescet. Nam cum tot ad Religionem ob victus penuriam recipi non poterunt, extra eam positi, magis impensis sui status dignitatem & tueri & augere studebunt: multa ipsis, multa vxoribus ac familie alendæ, multa filijs educandis dotandisque filiabus opus erunt. Nec soli feruendum erit necessitati, plurima, magnificentia, liberalitati atque ostentationi de more impendenda, vestium splendor, ædes arte & mole spectabiles, conuiuiorum apparatus, supellex preciosa, numerosæ venationes, crebri & sumptuosi lusus, quos colorum labores, quas prædiorum opes non exhaurient? Hæc omnia in integro Nobilitati manerent, si quicumque de tanto numero à Deo in Religionem vocatus, centum aut multò pluribus florens, annuos sui domicilij redditus adaugeret, reliquis omnibus in potestatem amicorum relicto. Erit itaque Nobilitatis est annuos Religiosorum census adaugeri. Credi enim vix potest, quantum ad Nobilitatis opes ex Religiosorum incrementò accedat. Compertum id ab illis manifestè, qui Regnorum hæresi laborantium mores ac morbos callent. In Scotia enim atque Anglia (vt ipsi fateantur hæretici) ablatis Virorum, Virinumque Deo sacrarum conuubiis, Nobilium & Oppidanorum opes eadè lege sunt euersæ. Hoc modo. Nam si monasteria cum suis redditibus manerent inuiolata, multi (ni obstaret hæresis) ea ingrederentur, sed nunc obstante hæresi & legibus ab ea laetis, in statu secularium manendo, coguntur in eo splendide viuere pro conditione sui status, quæ in monasterijs locum non haberet. Idem

Ideo coguntur non se tantum alere, & quidem magnificentius multo & sumptuosius (quod illis, si in monasterijs Deo dicati viuerent) sed etiam, vxores, & prolem & famulos: coguntur vestes comparare pro vestiendo corpore & suo & vxorum, & prolis & famulorum non ex vili panno quo in monasterijs serui Dei vtuntur, sed ex pretiosis materijs sericeis & aureis aliunde adductis, coguntur copiosas dotes filiabus assignare; quales non darent filiabus ad vitam monasticam aspirantibus. Hanc ob causam isti, qui religiosi fieri nolunt vel non possunt obstante heresi in Regnis hereticis, coguntur bona immobilia inter sanguine iunctos distribuere & diuidere, ideoque quibus eorum minus possidet, quam haberet, si multi statum religiosum & monasticum amplecterentur, & suas legitimas hereditatis, cognatis & consanguineis relinquerent, vti relinquunt in Regno Poloniae religiosum statum amplexi.

Hoc ipsum incolis Regni Poloniae incommodum accederet, si in eo monasteria non exarent redditibus sufficientibus instructa. Nam ad ea multi nobiles admitti non possent, si in eis, tot ali non possent ob insufficientiam reddituum. Non est ergo adimenda monasterijs potestas, accipiendi illa bona immobilia, quae pij nobiles volunt illis donare, inscribere, vel legare, ad augendam numerum Dei seruorum.

46. At Politicorum permulti aiunt: quid Religiosis cum fundis ac praedijs & more Apostolico, eo quod ab aliis impetrauerint, vitam sustentent. Respondeo. Reducant isti Apostolica tempora, veterum Christianorum charitatem ac liberalitatem, quae tot Episcopatus, tot Canonicorum Collegia, tot Parochias, tot claustra atque Conuentus Religiosorum excitauit, restituant: tum demum Religiosi libentius, alieno labore paratis frui eligent, quam cum tot litibus atque molestiis suis praedijs excolendis operam dare. Verum cum temporum morumque ratio commutata sit, cum charitatem; liberalitatem, sinceramque pietatem, exquisita ad mundi leges prudentia expunxerit, coguntur Deo dicati homines, ad caelestium curam, rerum quoque ad victum pertinentium laborem adicere, & suis, cum aliunde spei non multum affulgeat, diligentiam adhibere.

47. Quod si in reprehensionem quispiam vocauerit, gaudeant illi se in veterum Christianorum numero esse; suos vero reprehensores Iuliano Apostatae successisse, ille enim cum omni possidendi ius viris Ecclesiasticis eriperet, verba Euangelij in sui sceleris patrociniū adducebat. *Qui non renunciauerit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Testis huius rei grauissimus B. Augustinus Anconitanus lib. de Potest. Eccl. q. 1. art. 8. ad tertium Arg. Idem hereticos Valdenses, idem Wiclefsum impietatis Spiti-

tus egit, vt nimirum bonorum Ecclesiasticorum stabiles possessiones improbarent. Quā obrem anathemate eos percussit Ioannes Pontifex XXII. in tit. de verbor. signific. Optimam huius rationem Syluester item Pontifex Maximus affert in C. Futuram 12. q. 1. *Futuram Ecclesiam in genibus Apostoli prauidebant, ideoque praedia in Iudaea minime sunt adepti, sed praedia tantummodo ad fouendos egentes. At tamen tempore Constantini & demum, vni Religiosissimi non solum possessiones & praedia, quae possederant, sed etiam semetipsos Domino consecrarunt, edificantes basilicas in suis fundis, in Honorem SS. Martyrum, per Ciuitates, ac Monasteria innumera, in quibus eorum Domino seruentium conueniret.*

MONITVM SEXTVM.

48. CVM quid eiusmodi dicitur aut statuitur, contra quempiam mortaliū, quod sine mortalis peccati noxa, & graui excommunicationis poenā exequi nefas, eo in casu, sub poenā peccati, non sufficit a promouendo duntaxat rei exitu abstinere, nisi etiam, si est liberā donatus a Repub. voce (quā Nobiles in Comitibus Prouinciarum, Legati vero districtum etiam in Comitibus Regni gaudent) suam hisce decretis opponat vocem, recuset, ac pro viribus impediat. Id ab omnibus Theologis & Iurisperitis concordī calculo comprobatum est. Et ex his quidem Innocentius a pari & a fortiori Cap. 1. de his quae sunt a maiori par. Cap. Hunc secutus est Panormitanus eodem numero 13. qui cum iussit & hanc rem diligenter perpendit, postea sic asserit: *Si quis non vult consentire, debet expresse contradicere, alias inuoluitur poenā & peccato, sicut expresse consentientes secundū Innocentium quod est singulariter notandum.* Ex hoc tamen habes, quod etiam in malē gestis, tacens in Vniuersitate habetur pro consentiente, cum ex officio suo teneatur consulere. Ad hoc l. de atat. §. qui tacuit ff. de interrog. act. hucusque Panormitanus. Ex Theologis vero praecipui cum S. Thoma 22. quaest. 62. art. 7. ad 3. idem confirmant. Praesertim Michaël Salon 2. 2. quaest. 62. art. 7. Contr. 1. Medina, quaest. 7. ad 2. Molina tom. 3. de Iust. d. 732. num. 3. vers. Tertium est Valentia to. 3. d. 5. quaest. 6. p. 3. Vasq. op. Moral. cap. 9. de Rest. §. 1. dub. 1. Sair. in Cl. Reg. l. 10. tract. 2. c. 9. nu. 3. & alij complures. Sed & S. Augustinus non dispat eadem de re, tulit decretum Ep. ad Casulanum, vti videre est in Canone Quisquis XI. q. 3. *Quisquis metu cuiuslibet potestatis, veritatem occultat: iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem quam Deum.* Et in sequenti: *Melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione recipere beneficium.* Neque discrepat S. Chrysostomus, cum in eadem causa & quaestione hūc in modum ait: *Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem; palam pro veritate mendacium*